

*tanorum oppidum, quod ab suis vi atque armis classis rei-
blicæ præfetus cepisset, Senatus restitueret, atque a Fer-
dinando auxiliis juvando abstineret..quarum is rerum neu-
tra impetrata discessit. Carolo in Galliam profecto, filius,
quem unicum habebat, tres natus annos moritur. qua
quidem morte accidit, ut cum postea Carolus iterum
exercitum coegisset, quem ad Ferdinandum repellendum
Aloisio propinquo suo duce mari Cajetam mitteret, Alo-
sius, cui regnum Galliæ, Carolo sine liberis maribus mo-
riente, lege Gallorum obveniebat, profectionem respuerit.
Itaque Carolus, cum alio duce nollet exercitum mittere,
rem jam prope confectam distulit: pauloque post dilapsis
cunctando militibus, ea omnino missio magnis impensis
instituta, certissimaque iis, quos Neapoli reliquerat, du-
cibus cum verbis tum literis ac nunciis promissa totiens
auxilia, interpositaque regia fides, ad nihilum recide-
runt.*

Ludovicus autem Gallici belli metu deposito, cum id
quod Pisarum civitas a Senatu petierat, amicorum literis
cognovisset, Pisani vero patefacta ipsorum postulatione le-
gatos etiam palam Venetas eadem de re mississent, ne id
quod verebatur accideret, uti ea civitas sub unius reipu-
blicæ imperium redigeretur, se se Senatui obtulit, si Pi-
sas esse defendendas existimaret, ejus rei socium & adju-
torem futurum: videri autem sibi, æquissimum esse eas
defendi, propterea quod Florentini fœdus cum Carolo
percussissent, cuius ipse fœderis legatum occulte ad Caro-
lum proficiscentem suis in finibus interceperit. Re sapientia
Patribus agitata, Ludovico magis magisque quotidie ad-
nitente, lex tandem in Senatu lata est, fœderatorum
omnium legatis approbantibus, uti Alexandri, & reipu-
blicæ ac Ludovici armis atque opibus Pisæ defenderen-
tur: additumque legi, ut in Liguribus milites bis mille
republicæ pecunia conscriberentur, Pisasque mitterentur.
id autem uti Ligures permitterent, Ludovicus antea se
recepérat effecturum. Iis intellectis rebus Florentini, an-
tequam auxilia contra se convenienterent, omni cura dili-

H. Bembi.

G

gen-

Pisarum de-
fensio a Se-
natu susci-
pitur.